



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

II. Si curator ecclesias illas, quas habet in custodia, aliquibus contulerit,
poterit huius donatio reuocari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

fidelitatis inhiuit, ne in iudicio ecclesiastico de sæculari feudo responderent. Itaque præfatus episcopus in eos velut contumaces, executionis sententiam promulgauit, &c. *Et infra:* Mandamus quatenus præfatos milites ab excommunicatione, contradictione & appellatione cessante, absoluas, &c. *Et infra:* Deinde causam per dominum fundi iubeas terminari: & si ipse malitiose quid distulerit, tu ei, sublato appellationis diffugio, debitum finem imponas.

ANNO
CHRISTE
1175PARS
XLVII.

DE IVRE PATRONATVS.

CAP. I.

Idem Cantuariensi episcopo.

DE iure patronatus capellæ de Stretton, hoc tuæ discretioni mandamus, vt si * R. Brito ipsum comparauit, cum inconueniens sit & inhonestum vendi ius patronatus, contractum illum, sublato appellationis remedio, irritum denunties & inanem, ipsumque, fretus auctoritate apostolica, non differas reuocare.

CAP. II. *Idem Bathoniensi episcopo.*

Dilectus filius noster nobilis vir comes S. transmissano bis insinuatione monstrauit, quod dum illustris rex Scotiae patrimonium suum detinisset occupatum, quibus voluit, & prout voluit, ecclesias, quarum gerebat patronatum, eo inconsulto concessit. Quoniam igitur ex iniuncti nobis officii debito tenemur vnicuique iura sua integra seruare, nolentes etiam quod præfatus comes occasione tali ius patronatus amittat: fraternitati tuæ, &c. quatenus rei veritate diligenter inquisita, si ita esse tibi constiterit, intrusos amoueas: & si idoneæ personæ ab eo qui ius patronatus & præsentandi personas habet, ad præscriptas ecclesias fuerint præsentatæ, & personas ipsas de consensu & consilio prælatorum, quorum interest, de præscriptis ecclesiis, contradictione & appellatione cessante, inuestiges, nec ipsas contra formam iuris exinde a quoquam grauari permittas.

Idem